

tur, nonnulla etiam noue facta, vt versus complerentur; quorum tamen modi, et numeri, innumeris in locis reperiantur non constare.²⁵ Quibus quidem, et orationis, et sententiarum, vitiis conati sunt recentiores interpretes ita mederi, vt nunc alia verba inferciri, ad explendas rimas, iusserint, nunc ordinem verborum, et versuum, mutarint, nunc integros versus diffinierint. Sed hunc eorum laborem omnem vanum esse, atque inutilem, vel ex eo patet, quia ista vitia, neque librariorum negligentiae illiberali, neque malae grammaticorum sedulitati, debentur, verum manifestae ipsorum, quicumque tandem illi fuerint, auctorum horum poematum inertiae, ita, vt mirandum non sit, nullum adhuc, nec solertissimum, interpretem potuisse ea sic emendare, vt idoneis verae, antiquaeque, simplicitatis, et venustatis, arbitris omni ex parte probarentur. Quod quidem ipsum Phaedri-
narum quoque fabellarum interpretibus accidisse, quis nescit? ita, vt magna carminum istorum pars vel hanc ob causam recte existimetur alii poetae cuius potius, quam Phaedro, Augusti liberto, esse tribuenda. Praeterea his in odariis nusquam videas commemorari Polycraten, tyrannum, cuius tamen laudibus plena fuisse Anacreontis carmina accepimus:²⁶ nusquam laudantur, neque Smerdiae capilli, neque Cleobuli oculi, quos Maximus Tyrius²⁷ auctor est ab poeta Teio cantatos fuisse in primis: sed attinguntur in his ipsis poematis nonnulla, quae facile appareat Anacreontis aetate fuisse Graecis nondum cognita.²⁸ Denique Aristarchus, Heracleon Aegyptius, Seleucus Emesenus, Tryphon Alexandrinus, alique grammatici doctissimi,

25. Vid. Faber ad odar. 24. et 27., atque Salmasius ad odar. 44, 6. apud Brunquium p. 113. edit. Argentorat. pr.

26. Vid. Strabo lib. 14. p. 638. Casaub.

27. dissert. 8. p. 96. Dauis. min.

28. Vid. ad. odar. 28, 32. 55, 3.